BIBLIA VETERIS TESTAMENTI (PARS)

Deutschland (Sachsen ?), 2. Hälfte 13. Jh. Seite 130r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift

exercitui cibaria. et possimus pugnantes
contra gabaa beniamin reddere ei pro sce-
lere quod meretur. Conueneruntque uniuersus
israhel ad ciuitatem quasi unus homo eadem
mente unoque consilio. Et miserunt nun-
cios ad omnem tribum benyamin qui
dicerent. Cur tantum nefas in uobis
repertum est. tradite homines de gabaa
qui hoc flagitium perpetrarunt. ut mo-
riantur et auferatur malum de israhel.
Qui noluerunt fratrum suorum filiorum
israhel audire mandatum. sed ex cunctis
urbibus que sue sortis erant conuenerunt
in gabaa. ut illis ferrent auxilium et
contra uniuersum israhel populum dimica-
rent. Inuentique sunt. xxv. milia de be-
nyamin educentium gladium preter
habitatores gabaa qui septingenti
erant uiri fortissimi. Ita sinistra ut
dextera preliantes. et sic fundis ad cer-
tum iactantes lapides ut capillum
quoque possint percutere et nequaquam
in alteram partem ictus lapidis de-
ferretur. Virorum quoque israhel absque
filiis benyamin inuenta sunt. xl. mi-
lia educentium gladios et paratorum ad
pugnam; qui surgentes uenerunt in
domum dei hoc est in sylo; consulueruntque
eum atque dixerunt. Quis erit in exerci-
tu nostro princeps certaminis contra
filios benyamin. Quibus respondit dominus.
Iudas sit dux uester. Statim filii israhel
surgentes mane castra metati sunt
iuxta gabaa. Et inde procedentes ad
pugnam contra beniamin urbem
obpugnare ceperunt. Egressique filii be-
nyamin de gabaa occiderunt de fili-
is israhel die illo. xxii. milia uirorum.
Rursum filii israhel et fortitudine et
numero confidentes in eodem loco
in quo prius certauerant aciem dire-

xerunt. ita tamen ut prius ascenderent
et flerent coram domino usque ad
noctem. Consulueruntque eum et di-
xerunt. Debeo ultra procedere ad di-
micandum contra filios benyamin
fratres meos an non. Quibus ille respondit. Ascen-
dite ad eos et inite certamen. Cumque
filii israhel altero die contra beniamin
ad prelium processissent. Erupunt
filii benyamin de portis gabaa. et
occurrentes eis tanta in eos cede ba-
cati sunt ut decem et octo milia ui-
rorum educentium gladium pro-
sternerent. Quam obrem omnes fi-
lii israhel uenerunt in domum dei et se-
dentes flebant coram domino. Ieiu-
naueruntque illo die usque ad uesperam.
et obtulerunt ei holocausta et pa-
cificas uictimas et super statu suo
interrogauerunt. Eo tempore ibi erat ar-
cha federis dei et phinees filius eleaza-
ri filii aaron prepositus domus. Con-
sulueruntque dominum atque dixerunt.
Exire ultra debemus ad pugnam con-
tra filios benyamin fratres nostros an
quiescere. Quibus ait dominus. Ascen-
dite; cras enim tradam eos in manus
uestras; posueruntque filii israhel insidias per
circuitum urbis gabaa. et tercia uice
sicut semel et bis contra benyamin
exercitum produxerunt. Sed et filii beny-
amin audacter erupunt de ciuitate.
Et fugientes aduersarios longius
persecuti sunt. ita ut uulnerarent ex
eis sicut primo et secundo die. et ceciderunt
per duas semitas terga uertentes quarum
una ferebatur in bethel et altera in ga-
baa atque prosternerent. xxx. circiter uiros.
Putauerunt enim solito eos more
cedere. Qui fugam arte simulantes
iniere consilium ut abstraherent eos